

AUCTARIUM.

CONCIO I.

ANSER BONI SERVI DEI TYPUS: MARTINUS
EXEMPLAR.

. Servus Dei sit humilis. — II. Sit obediens. — III. Sit sobrius. — IV. Sit fidelis dispensator. — V. Sit vigil.

THEMA.

Beati servi illi, quos, cum venerit dominus,
invenerit vigilantes. Luc. XII.

Athenæus, lib. XIII. cap. XXIX. refert a quodam pictore anserem tam ad vivum fuisse depictum, ut alios anseres vivos vitæ imagine ad sui amorem, accessum et sequelam pelliceret. Nescio qui fiat, quod S. Martini festum semper anser comitetur. An forsitan anser cum Martino quid commune habet? Habet sane. Quare hodie propono vobis anserem ad vivum depictum, S. Martinum, adeoque amandum et imitandum. Inter alios honorificentissimos titulos, quibus condecoratur S. Martinus, non est infimus ille, quo vocatur *servus Dei*, quem dedit ipsi angelus, qui apparens Avitiano comiti, dixit: *Servus Dei Martinus ad tua limina jacet, et tu quiescis?* ut in ejus vita Sulpitius. Vulgus etiam hodie, quem a pietate vult laudare, appellat *servum Dei*. In sacris quoque litteris nomen hoc pro magno honore datur illustribus sanctis, uti Jobo, Davidi, Calebo, Danieli, Zorobabeli, et imprimis Moysi, Deut. ult. *Mortuus est Moyses servus Dei*. Indicat enim non subjectionem tantum; sed familiaritatem etiam cum Deo et amicitiam. Et quis nostrum erit, qui hunc titulum non ambiat? Habebimus autem, si Martinum ducem pro viribus imitati fuerimus. Qui dico Martinum? Etiam anserem, qui hoc die solet ornare mensam, si imitari velimus, servi Dei erimus. Quod qui faciendum, videbimus.

I. Servi boni dos est humilitas et subjectio, juxta id I. Petr. II. *Servi, subditi estote in omni timore dominis*. Tales etiam requirit Deus. Qui enim humilis non est, obedire nescit. Docemur hoc ab anseribus, qui licet alati et pennati sint, raro tamen in altum se libranti, nec nisi coacti; plerumque terræ adhærent: ac siquidem interdum evolent, nec alte, nec diu volant: cumque humi graves resident, in caput fere corrunt: idem si per otium horrei quatuorlibet altum

ingrediantur, nescio qua persuasione, collum caputque inclinant. Videamus jam Martinum; qui cum episcopus esset, non nisi humi in cilicio vel stramine jacebat, plane anserum more: moriens etiam in humum et cinerem deponi voluit, dicens: *Non decet Christianum nisi in cinere et cilicio mori*. Peregre vero profectus, humillimo asello vehebatur: cumque adhuc miles esset, unico servo contentus erat, cui et ipse vicissim serviebat adeo, ut plerumque ei calceamenta detraheret atque extingeret. Ridet hoc mundus; quomodo Romani riserunt Constantium imp. Romam cum pompa ingredientem, quando viderunt eum statura parvum per præaltos triumphales ingredientem arcus, anseris instar caput inclinare, apud Platinam aliosque. At in servo Dei gloriosum istud est, defenditque Sanctus Bernardus: « Quomodo enim si per ostium transeas, (inquit serm. XXXVII in Cant.) cujus superliminare nimium bassum sit, non nocet quantumvis te inclinaveris; nocet autem si vel transversi digiti spatium, plusquam ostii patitur mensura, erexeris, ita ut impingas, et capite quassato collidaris. Sic in animo non est timenda quantalibet humilitas: horrenda autem nimiumque pavenda vel minima temere præsumpta erectio. » Scimus multos, qui altius evolare conati sunt, in caput turpiter corruisse, uti in primis Luciferum, deinde Amanem, Nabuchodonosorem, Antiochum, Herodem Agrippam. Primus in orbem dejectus est, secundus ad silvas et feras, tertius ad patibulum, quartus vermibus consumptus, quintus ab angelo percussus, Act. XII. E contra maxima demissio Constantini M. ad exportandos duodecim terræ cophinos, S. Eduardi Angliæ regis ad portandum in dorso claudum, S. Ludovici Franciæ regis ad abluendos pauperum pedes, S. Elisabethæ regiæ filiæ ad abstergendas leprosoꝝ sordes et ulcera, non modo eis non obfuit, sed immortalem gloriam peperit.

II. Servum decet obedientia, eaque ad nutum prompta. Hanc ab eo requirit S. Paulus ad Ephes. VI. *Servi obedite dominis carnalibus cum timore et tremore sicut Christo*, quasi diceret: Ad nutum et vocem eorum timete ac tremite, Christum in illis vobis præcipientem contemplantes. Habemus et in anseris hujus rei umbram aliquam: is frequenter uno oculo terram, altero cælum simul ac semel aspicit; quasi docens servos suum ocu-

lum in herum, cui serviunt, alterum in Christum, propter quem ei serviunt, conjicere. Sanctum Martinum aspiciamus, qui oculis ac manibus in cælum semper intentus erat; sicut oculi videlicet servi in manibus domini sui, ut voluntatem ejus semper observaret, adeo ut a Briccio discipulo per derisum *suspex cali* appellaretur. Quod idem æger faciebat, nolens converti ad latum, ne a cælo cælique Domino oculos avertere cogeretur. Utinam, Christiani, si non semper possumus, crebro saltem idem faceremus! Hoc nimirum est, quod Ps. CXXII. dicitur: *Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum; ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri*. Sed quomodo oculi nostri possunt esse in manibus Dei nostri? Si ad ejus nutum etiam, quasi ad motum manus vel digitorum ejus attendamus: sicut faciunt prompti ad obediendum famuli, qui ad nutum oculi vel digiti domini sui mandata observant, eaque statim peragunt.

Quatuor aulici Henrici IV. Angliæ regis, ubi audierunt regem de S. Thoma Cantuariensi archiepiscopo his verbis conquerentem: *Inertes ac miseros homines enutriti et erexi in regno meo, qui nec fidem servant domino suo, quem a plebeio quodam clerico tam probrose patiuntur illudi*; illico mentem regis intellexerunt, et ad nutum illius S. Thomam crudeliter occiderunt, ut in ejus vita Eduardus. En impium et crudelem heri nutum tam observant famuli; et ad sanctissimam Dei voluntatem faciendam cogere oportet servos ejus? Quanto enim major est merces obedientiæ, quam præstamus Deo, quamquæ præstatur hominibus? Quanam vero illa? Citatus indicat Psalmus verbis illis: *Donec misereatur nostri*. Ipsa enim mandata Dei misericordia sunt et gratiæ; quia ingens meritum nobis parant. Officiales regum pro summa gratia habent, si qua legatio aut commissio, alias etiam laboriosa et periculosa, v. g. ad Turcarum imperatorem, eis demandetur; quia inde sperant magnum emolumentum. Nos a Deo nostro, pro servitio ei præstito, quid non speremus?

III. Servum decet sobrietas. Ita enim præcatus apostolus, II. Tim. IV. præcipit discipulo suo: *Ministerium tuum imple, sobrius esto*; quasi sobrietas maxime necessaria sit ad implendum ministerium: et Luc. XII. ait Dominus, *servum inebriatum dividendum, et hypocritis adnumerandum*; hoc est, separandum a familia domini, et cum infidelibus servis ejiciendum. Nec immerito; nemo enim dominorum amat servum ebriosum, cum talis nulli usui sit. Docet hanc virtutem et anser, qui vilissimis herbis, uti gramine

et urticis, vivit: aquam dumtaxat, et non nisi guttatim, bibit, licet iis innatet. Martinum jam videamus. In primis in Gallinaria insula, quo propter furorem Arianorum secesserat, radicibus herbarum et gramine, in quo et helleborum, venenosam herbam, per errorem sumpserat, victitavit. Post in monasterio suo non nisi tenuissimo victu se et suos sustentavit, ubi vinum nemo bibit, nisi quem ægritudo coegisset. Necessaria est servo Dei sobrietas; quomodo enim alias vigilans esse poterit, quod ab eo requirit Dominus, ut mox audiemus? Civitas, cujus murus eversus est, annon hostibus undique exposita est? Hoc vero homo est sobrietate destitutus. Lege caput ult. lib. IV. Reg. et videbis, quis destruxerit muros Jerusalem, Nabuzardan videlicet princeps militum, quem Sptuaginta appellant *principem coquorum*; quia præfectus culinæ in aula Nabuchodonosoris fuit. Quid præfecto coquorum cum muris Jerusalem, ut eos destrueret? Ad nostram hoc doctrinam factum est: *Muros Jerusalem coquorum princeps destruxit; quia virtutes animæ, dum non restringitur venter, perdit*, ait S. Gregorius XXX. moral. c. XXVI. Sobrietas potissimum animæ murus est; eo destructo, actum est de salute ejus.

IV. Servus esse debet fidelis dispensator bonorum domini sui. Ita enim Dominus, Matth. XXIV. *Quis putas, est fidelis servus, quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?* Alludit ad veterem morem, ait Maldonatus, quo fidelissimus servus aliis præponebatur, ut eis cibum (qui mercedis loco dabatur) seu annonam admetiretur et distribueret. Ergo « Tuarum es, o homo, (inquit Sanctus Chrysostomus, hom. XXXIV. ad pop.) pecuniarum dispensator non minus, quam qui eleemosynæ bona dispensat. Sicut igitur ille potestatem non habet, ea quæ propter pauperes a vobis erogantur, et ut casu venit, dispergendi, quoniam in pauperum data sunt alimentum; ita neque tu tua: » et mox: « Hæc enim propterea tibi (Deus) concessit, ut dares illis escam in tempore opportuno, egenis, esurientibus, sicut tu conservo dispensanda dedisti, etc. » Parentes in Hispania primogenitum filium instituunt unicum suum heredem; commendant ei tamen cæteros ejus fratres quam strictissime, ut eorum curam habeat, sic Deus tibi: *Cum auferre posset, (subdit ibi Chrysost.) ea bona tibi dimisit, ut exhibendæ virtutis occasionem habeas, ut alterum alterius indigentem constituens, mutuan charitatem redderet ferventiorum*. Ecce ducem vobis anserem; qui cum multas plamas in vestem acceperit a Deo, eas singulis annis semel, et alicubi bis, ut scribit Pli-

nus, loco supra cit. dividit cum egentibus; (inde enim nobis lectos paramus, in quibus calefiamus et somnum capiamus) tametsi plumis illis non sine dolore spoliatur. Plumæ istæ superflue, quid nisi redundantes opes sunt? Tibi superflue, sed pauperi necessariae. His non solum pauperes calefacies et fovebis, sed etiam tibi ipsi simul lectum præparabis in cælo longe suavissimum. Nocte qua S. Anselmus archiepiscopus Cantuariensis in Anglia, et S. Hugo abbas Cluniaci mortuus fuit: «Vidit abbas Noviomensis duos lectulos ab angelis in cælum deferri, qui molliori cultu sollicitudinis oblivionem et somnum provocarent; angeli autem qui lectulos deferebant, hujusmodi clamabant verbis: Duos illutres viros in his collocabimus lectis; Anselmum scilicet Cantuariensem archiepiscopum, atque Hugonem Cluniacensem abbatem monasterii, qui post terras cælum, post labores requiem, gaudium post lacrymas meruerunt.» Post hæc abbas visionem retulit suis fratribus, et deprehensum ambos illos sanctos ea nocte obiisse. En tibi lectulos duos suavissimos pro duobus sanctis, qui in pauperes viscera misericordiæ effuderant: Anselmus supra posse etiam (ut ait Edinerus, in ejus vita, 21. april. apud Sur.) in eos profusus fuit, ac sæpe fratrum monachorum cibum necessarium subtraxit, iisque impertivit. Hugo vero circa lectum suum immensam vestium congeriem semper habebat, quas ipse partim sarciebat et resarciebat pro egenis, panes item ac carnes in usum pauperum erogandas semper in parato habuit. Quid mirum ergo si tam delicatos in cælo lectos sortiti sunt, qui eos tot plumis infarserunt? Sed quid Martinus noster? Nonne et ipse dimidium pallii sui, et postea jam episcopus totam suam tunicam ad fovendum pauperem media hieme in summo frigore dedit? Hinc videre meruit nocte sequenti Christum ea veste indutum: hinc moriens visus est a Severo monacho cælum petere in veste nivea, vultu rutilo, coruscantibus oculis, ut in ejus vita Sulpitius: hinc mota etiam S. Ida comitis Egberti vidua, sarcophagum suum marmoreum quotidie bis implebat panibus aliisque cibis in pauperes distribuendis, ut sic quasi plumis lectulum sibi post mortem placidum pararet, ut in ejus vita, Sur. 4. sept. Imitamini hos, auditores, et expendite pauperes nunc magis quam æstate egere; quia dies breves sunt, frigora magna, unde et fames major: in agris nil reperitur: laborandi occasio deest: penus divitum pleni jam sunt, pauperum vero inanes, etc.

V. Decet servum esse vigilem, uti docet Christus, Luc. XII. dicens: *Beati servi illi, quos, cum*

cum venerit dominus, invenerit vigilantes. Hujus virtutis en magistrum anserem. Hic enim præ cæteris animantibus vigilantior, etiam minimos strepitus sentit et clamore prodit, uti et homines ad se accedentes; denique, anseres sua vigilantia Capitolium Romæ a Gallorum irruptione servarunt, excitando Manlium ejusque milites contra hostes noctu irrumpentes. Simili ergo studio vigilet Dei servus et expectet dominum suum, qui veniet: *Tamquam fur in nocte*, uti subdit loco citato Dominus; additque: *Si venerit (Dominus) in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi.* At cur tacet primam et quartam vigiliam? Causam dat Tolæus: *Quia prima vigilia est pueritia, secunda juven-tus, tertia virilis ætas, quarta senectus.* Primam tacet, quia pueritia fere innocens esse solet: ultimam vero, quia senectus parum apta et rara est ad pœnitentiam; rarissimi enim sunt, qui in senecta primum bene operari incipiunt. Quare ne sinamus nobile tempus sine fructu nobis elabi, nec moremur acceptare oblatam nobis gratiam; ne sero aliquando desideremus unum diem Domini, et non obtineamus. In prima vigilia vigilavit Martinus, cum puer centum annorum a parentibus ad ecclesiam confugit et baptismum petiit: in secunda militiam, quamprimum potuit, deseruit, et ad S. Hilarium se contulit: dæmonera sibi insidiantem mox agnovit ac prodidit in tertia: in quarta ad mortem se sanctissime composuit, in cælum jugiter aspirando: *Vigilat, qui servat operando quod credit; vigilat, qui a se torporis et negligentie tenebras pellit*, ait S. Gregorius, homil. XIV. in evang. Fertur Carolus Gallorum rex consuevisse a cibo pomum decorticatum comedere. Assistentibus ergo tribus filiis, ingenium et obedientiam illorum exploraturus maximo natu Gobando particulam pomi cultello porrigens: *Accede, inquit, et e manu patris bolum sume.* Ille vero aulico more recusare, seseque indignum, cui rex ministraret, dicere. At Carolus medium similiter allocutus, cum is omnia se paternæ pietati et prudentiæ debere fateretur, et porum aperto ore susciperet, pro ea obedientia regem Galliæ declaravit. Inde natu minimum, Lotharium, fratris exemplo cautio rem factum, et vocatum accedentem, regem Lotharingiæ fecit. Gobandus, aulicis pœnitens, patrem reconciliaturus accedit, etc. *Quando ita vis, o pater, miri quoque pomi partem largire.* Cui Carolus: *Tibi vero nec pomum nec regnum superest*, respondit. Hinc proverbium apud Gallos ortum: *Gobande, sero es aperuisti*, Joan. Paulus, in spudopædia. Tale est quod nos Christus docet, cum vult, ut quacumque vigilia seu ætate, adeoque semper, vigilemus. Offert

nobis nunc in tempore gratiam suam, ut hæredes cæli faciat. Quod si per aulicisimum, nescio quo prætextu, negligamus, culpa nostra erit: *Sero os aperuimus.* Vigilate ergo et videte, ne alii coronam vestram auferant.

Anseres, quia vigilantia sua Capitolium servarunt, hanc mercedem tulerunt, ut certo numero ex publico alerentur, et singulis annis anser unus in lectica per urbem cum pompa circumduceretur. Quid non exhibebit Deus servis strenue vigilantibus? *Amen dico vobis*, ait apud Matth. cap. XXIV. *super omnia bona sua constituet eum.* Hoc præstitit S. Martino, quem cum angelorum cantu in cælum deduci audiit S. Severinus episcopus. Nos ergo adnitamur ut boni servi Dei simus. B. Petrus de Morono, papa Cælestinus dictus, adhuc puerulus sæpe matri suæ dicebat: *Volo esse bonus servus Dei*, ut in vita 19. maii. Dicamus hoc et nos: *Volo esse bonus Dei servus*: volo inquam, et conabor.

CONCIO II.

AB ANSERE ET S. MARTINO MULTI DOCENTUR.

I. A pectore anseris multi clerici. — II. A corde magistratus. — III. Subditi a dorso. — IV. Patresfamilias a capite. — V. Matresfamilias a lingua. — VI. Servi a ventriculo. — VII. Magnates a collo. — VIII. Divites a jecinore. — IX. Rustici ab alis. — X. Studiosi a pennis. — XI. Senes a pedibus. — XII. Pueri ab osse pectoris.

THEMA.

Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Luc. XI.

Non dubito plerosque hic præsentibus aliquid hodie gustaturos de anseri (ut vocant) Martiniano: valde autem dubito, utrum medice et salubriter comesturi sint. Si enim medicos audimus, non omnes anseris partes omnibus æque prosunt; sed aliæ aliis magis, ut cor et pulmo phthisicis, stomachus stomachicis, hepar hepaticis, teste Kiranide, apud Gen. Sed quid mihi cum re medica? Vellem, auditores, ut una cum materiali anseri spiritualem quoque ederitis. Hic vero multas etiam partes habet, quarum aliæ aliis magis vel minus prosunt. Quare si principes patiuntur medicos ad mensam, quid illis quid edendum vel non edendum sit insinuent; spero etiam vos passuros, si vobis indicavero quod unicuique de hoc anseri expediat, imo et debeat.

I. Sacerdotibus et clero prodest et debetur pectus. Id enim appellari a Germanis solet portio sacerdotum; sive quia in veteri lege ex victimis pectusculum jussit Deus dari sacerdotibus, Exod. XXIX. et Levit. VII. ubi dicitur: *Pectusculum autem erit Aaron et filiorum ejus.* Cujus rei causam dat S. Gregorius, II. p. pastor. cap. III. «Recipit a populo (inquit) sacerdos pectus, ut meminerit se Deo debere reddere pectus suum, ut non nisi quæ recta sunt cogitet:» et Origenes in eum locum, homil. V. «Pectus sacerdotis plenum sit sapientia, plenum scientia, plenum omni divina intelligentia, imo plenum Deo.» Sive quod meliorem partem merentur; quia dant vicissim laicis saluberrima et optima, doctrinam cælestem et sacramenta. Ita enim apostolus, I. Corinth. IX. ait: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Sunt enim patres vestri spirituales, gignunt vos per baptismum, alunt verbo Dei et s. eucharistia, sanant absolutione, armant extrema unctione, etc. Sane S. Martinus cum ad convivium Maximi imp. victus tandem accessit, pateram, ubi bibit, non imperatori, uti is sperabat, sed sacerdoti suo tradidit; plus deferens sacerdotio, quam sceptro. Placuitque hic quasi contemptus regis et honor sacerdotis Maximo magis, quam si ipsi tradidisset poculum.

II. Magistratibus cor damus, quia cor in medio animalis principium et fons est spirituum vitalium, quos dividit per omnia membra, sicque omnia vegetat et animat; unde et animositatis typus est: cordatus enim idem est, qui magnanimus. Talis autem esse dicitur et anser. Anseres enim nihili faciunt canes et altos struthiocamelos: accipitrem tamen vel minimum timent, ait Ælianus, apud Gesn. lib. III. homines vero adeo non metuunt, ut etiam sibilis prosequuntur. Hujusmodi ergo magistratus sit: in medio æquitatis consistens, vim suam æquo jure exerat in omnes, non timeat allatrantes obtrectatores, nec plumatos gigantes, sed exsibilet eos: solum, qui deasper nos aspicit, et accuratissime quidem, Deum metuat spectatorem et vindicem. Ita monet Ecclesiasticus, c. VII. *Noli querere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Fuit talis Martinus, qui a Maximo imperatore tyranno sæpius ad mensam vocatus, semper abstinuit et intrepide respondit, se mensæ ejus participem esse non posse, qui duos imperatores, unum regno, alterum vita spoliasset. Regno Valentinianum, vita eruerat Gratianum, Lipel. II. nov.

III. Subditis quadrare dorsum videtur, quod ossum est et carrus appellatur. Illorum enim est

dorsum jago submittere et carrum trahere. Osseum igitur dorsum habeant, et mandata superiorum libenter in se suscipiant, necnon et onera sibi imposita, licet ea gravia sint et pene importabilia. Id enim et Martinus fecit; qui dimissione petita a Juliano, ignaviae et timiditati id tribuente, jussus servari, ut postero die solus et inermis hostium cuneis objiceretur, non detrectavit onus, sed paratum se ad hoc protestatus est, quamquam id hostium deditioe impedimentum fuit.

IV. Patrifamilias caput debetur. Anser enim vigilantissimus parum dormit, et diligentes agit excubias, fures et hostes clangore prodit, hominem accedentem ex olfactu cognoscit. Romae Capitolium noctu invadentes Gallos soli anseres adverterunt, et clangore suo prodiderunt. Officium hoc est boni patrifamilias, parum dormire, summo mane surgere, juxta regulam Aristotelis in œcon. *Expergisci prius dominum decet, quam servum et capitum ire posterius*, familiae suae diligenter attendere, delinquentes notare et corrigere, Romanam fidem defendere. Fuit etiam Martinus talis paterfamilias; quoniam suo monasterio diligentissime invigilans, dæmonem sibi insidiantem passim vidit et agnovit, ac discipulis suis prodidit, cavendumque monuit. Semel cum frequentissimo discipulorum comitatu iter agens, mergos in flumine conspicatur piscium prædas sequi, iisque interceptis ingluviem satiare. Tum: *Forma*, inquit, *hæc est dæmonum. Insidiantur incautis, capiunt nescientes, captos devorant, exsaturarique nequeunt devoratis.*

V. Poterit paterfamilias communicare matrifamilias aliquid de capite, linguam videlicet. Nam ut anser clamorosus est, et nocturnas vigilias celebrat, cantusque assiduitate testatur, dumque clamat, versus cælum caput erigit; sic matrifamilias et vigil in domo, et frequens in oratione sit, quia: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam: nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam*, Psalm. CXXXVI. Norunt etiam anseres silvestres vocem cohibere lapillo in os inserto, cum Taurum montem prætervolant, aquillis infestum. Pari ratione matrifamilias, cum advertunt maritos esse ærios aut ira æstuant, claudere os debent, ne magis eos exasperent. Notum illud, quo edocta mulier, cochlear distillata aqua plenum in ore continere, cum vir fulminaret, remedium experta est. Sanctus Martinus tam assiduus in oratione fuit, ut etiam inter legendum, aut si quid aliud forte agebat, nunquam animum ab oratione laxaret; sed: *Ut fabris ferrariis mos est, qui inter operandum pro quodam la-*

boris levamine incudem suam feriunt; ita Martinus, etiam dum aliud agere videretur, semper orabat, ait Sulpitius, in ejus vita. Ad hæc tacere novit Martinus, cum alii in ipsum tonarent, uti Briccius; et verberibus etiam sævirent, uti viatores quidam, qui postea pœnitentia ducti supplices ab eo veniam petierunt.

VI. Servis convenit ventriculus, qui anseribus est calidissimus, unde frigidis tandem gaudent, teste Aliano, apud Gesn. Ita decet servos habere stomachum calidum, qui frigida et aspera quæque digerat: audiunt enim ab heris crebras objurgationes, probra, convicia: accipiunt quandoque verbera et injurias, quibus concoquendis sane requiritur fortis et robustus stomachus. Habuit talem stomachum Martinus, qui non solum a duce suo Juliano contumeliam adhuc miles patienter tulit, uti diximus, sed etiam postea jam episcopus a discipulo suo Briccio, a quo delirus habitus: *Cæli suspex et insanus vocatus*, omnibus sæpe conviciis onerabatur; nec tamen contumelias rependit, sed verba placida, addens: *Si Christus Judam passus est, cur ego non patiar Briccium?* Julianus appellavit eum *ignavum militem*, cum dimissionem petiisset: devoravit et hoc Martinus, seque ad penetrandos hostium cuneos paratum ei obtulit. Cur non offerant se servi ad obsequia leviora?

VII. Collum congruit magnatibus. Tametsi enim anser erecto collo caput suum effert, quando tamen per ostium quantumvis altum ingreditur, cervicem suam deprimit. Collum erectum superbiae typus est, Job XV. *Cucurrit adversum Deum erecto collo*. Quare licet magnates cæteris altiores sint, et supra plebem sese offerre possint; quando tamen in ecclesiam ejusque sacra audienda vel percipienda ingrediuntur, deprimere supercilium, Ecclesiae præcepta servare, coram Deo ac sacerdotibus ejus se humiliare minime graventur. Certe Constantinus Magnus imperator, per baptismum in ecclesiam intraturus, audiit a Sancto Silvestro Pp. prius ponendam purpuram et diadema, precibus et lacrymis Deum sibi placandum; quod is animo sane demisso una cum jejuniis septem diebus præstitit, in vita Sancti Silvestri. Sic Clodoveus rex Galliae, cui baptismum suscepturo dixit Sanctus Rhemigijs: *Mitis depone colla Sicamber, adora quod incendisti, incende quod adorasti*: paruit ad nutum, in vita S. Rhemigii. Denique, S. Martinus, etsi meritis et episcopali dignitate tam sublimis, humillimus tamen interim fuit, ita ut nemo unquam sedere eum in ecclesia conspexerit, sed vel stare, vel genuflectere semper. Ea de re causam interrogatus, respondit: *Non vultis ut hic Deum*

timeam? Ribad. in ejus vita. Notent hoc magnates, domini et dominae, qui sub sacra missa semper sedere, vix unquam flectere genua conspiciuntur.

VIII. Jecur dandum divitibus. Jecinoris enim officium est sanguinem conficere, et confectum in omnes venas corporis dispertire. Hoc ipsum divitum munus: opes conquirere, conquisitas in egentes dividere. In deliciis multorum sunt jecinora anserina: in deliciis etiam sunt coram Deo divites liberales: in laudibus quoque hominum. Pater in S. Martino, qui postquam vestem suam dissecuit et cum paupere divisit, Christus sequenti nocte ea indutus ipsi apparuit, et qua in illa sibi valde placeret, dixit: *Martinus hac me veste contexit*. Idem necdum baptizatus stipendia sua in egentes distribuere solebat, nihil sibi inde, quotidianum victum reservans; quam ob causam ejus commilitones miro eum venerabantur affectu. Nimirum quia: *Dispersit, delit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi*.

IX. Alæ quadrant rusticis. Alati quidem sunt anseres, fere semper tamen in terra et aquis morantur; at nonnunquam etiam ad volatum se erigunt, tametsi eum diu non continent. In terra item et agris fere conversantur rustici: seire tamen debent se quoque Christianos esse, adeoque subinde a terra evolandum, templum adeundum et sacramenta suscipienda esse, post ad labores solitos redeundum. Neque tamen urgentur ad volatum diuturnum. Anseres, cum a tergo incursantes sentiunt canes, tum volare incipiunt, et interim valide clamant: ita quando audiunt rustici monentes concionatores vel pastores suos, ad rem divinam se attollere debent et fervorem suum ostendere. Non est opus hoc ostendere in Martino, qui vix unquam in terra, sed in cælo fere continuo suam conversationem habuit; idemque tam oculis quam mente in cælum semper intentus fuit.

X. Studiosis nihil ex ansero conducit, proinde nihil dandum; est enim anser stolidus et indocile animal. Studiosi non ideo ad scholas missi sunt a parentibus, ut iidem redeant, sed ut doctiores et meliores, novis linguis ac litteris instructi. Quod si tamen aliquid inde habere volunt, pennas anserum arripiant, et secundo manibus tractent. Imitentur anserem illum, qui Lacyden (vel Lycadem) philosophum peripateticum ubique comitabatur individuus ejus comes, apud Alian. et Plin. Adhæreant sedulo magistris suis, et cum illis de suis studiis conferant. Ita Sanctus Martinus, relicta militia, adiit Sanctum Hilarium, Pictaviensem episcopum præclarissimum, cui et studiose adhæsit, ab eo creatus exorcista:

ægre quoque et moestus ab eo tandem discessit, divino oraculo jussus ire in patriam: postque reversus ad eundem Hilarium, ibi monasterium sibi collocavit, ubi eo magistro in omnibus uteretur.

XI. Senibus pedes congruunt. Primo enim, omnium, pedibus apprehenduntur a morteneses. Jam vero pedes anserum potentissimi sunt. Agoris, unaque solidissimi, adeo ut vel uno pede diu stare in glacie queant. Horum ergo exemplo senes firmiter persistent in senii miseris, etiam super uno pede, spe nimirum cæli, tametsi vel sola ea supersit at alia mundi hujus absint solatia. Cogitent paulo post frangendam esse glaciem. Sic se solabatur B. Joannes Vischerus episcopus Roffensis, cum ob fidei catholice defensionem ab Henrico VIII. Anglo gaudio adjudicatus esset. Theatrum enim supplicii ascendens, cum podagra laboraret, senioque confectus difficulter ascenderet, sic collocutus est pedes suos: *Eia facite officium, pedes, parum vobis viæ restat*, Nicol. Sand. de schim. Angl. lib. I. Cogitent et senes hoc. Ita enim et Martinus laboribus jam exhaustus, octoginta uno annorum, in mortis conflictu dicebat: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem*, paratus adhuc tot laboribus addere labores.

XII. Os pectoris communiter arripiunt sibi pueruli, idque ad saltus edendos adhibent. Datur igitur illis, ut habeant in eo quamdam etiam mortis imaginem, sciantque mortem incertos et inexpectatos facere saltus; neque solummodo in senes, sed etiam in juvenes ac puerulos insilire. Qui in acie militari stantes cum hoste configunt, omnes in periculo ac timore sunt; quia nesciunt in quos cadant æneæ pilæ e bombardis hostilibus emissæ. Par ratio de mortis jaculis, quæ velut cæca in incertum jaculatur. Quid facilius quam mortiferum cibum aut potum sumere? S. Martinus adhuc juvenis in Gallinaria insula helleborum, venenatam herbam, in cibum inscius sumpsit, indeque enectus fuisset, nisi vicinam jam mortem precibus avertissent. Idem contingere cum mille aliis periculis potest tam juvenculis quam decrepitis.

Sic ergo, auditores, sic comedendus anser hodie, ut anser materialis sit vobis solum patina, S. Martinus vero, seu virtutes ejus, sint vobis cibus. Cibum edite, patinam relinquire. Deinde, unusquisque suam, non alienam partem comedat; seipsum, non alios naso, ut loquimur, apprehendat: *Comedite amici, et inebriamini hoc cibo charissimi*.

CONCIO III.

ANSERES ALIQUOT ASSATI VITANDI.

I. Magnatibus nimia austeritas. — II. Ecclesiasticis impudicitia. — III. Civibus avaritia. — IV. Filiis contumacia. — V. Conjugatis perfidia.

THEMA.

Nemo lucernam accendit et in abscondito ponit.

Luc. XI.

Sanctus Wolstanus episcopus Wigorniensis in Anglia, qui vixit circa annum Domini 1064. die quadam ad placitum exiturus, missa celebrata, cibum sumere statuit; cumque apposita igni auca seu anserem, nidor adustæ carnis nares celebrantes opplevisset, odor mentem avocavit. Sed cum diu reluctans, cogitationem avertere non posset, juramentum ad sacramenta, quæ tractabat, fecit, nullo se amplius pacto id genus cibi comesturum. Completa igitur missa, jejunos ad negotium discessit. Ita Bravonius monachus Wigorni, apud Sur. 19. jan. Consuetum est hoc die anserem assare et in cœnam dare. Hujus anseris nidor forsitan jam nunc nares aliquorum replet, dum rei divinæ intersunt; neque tamen illi propterea, ut arbitror, anseres abjurabunt. Sed non decet, ut hoc nidore mens a cogitationibus piis in templo avocetur. Quare ne vos vexet talis nidor in hoc loco, aut etiam in mensa lædat, exhibebo vobis anseres alios, quorum nidorem si olfeceritis, spero fore ut anseres tales perpetuo abjuretis. Varios variis dabo, non ut eos comedant, sed ut, tetro eorum nidore percepto, ab iis abhorreant.

I. Primus spectat ad magnates, nimium severos erga suos subditos. Ex horum numero Carolus Navarræ rex, Francorum regis gener, cum innumeris tributis subditos oneraret, conquesti frustra licet optimates, alii compedibus vincti, alii extrema metuentes, nihil non ausuri per desperationem erant, et sola morte Navarri liberari poterant. Quare cum bis libidine exhaustus calefieri non posset, lintheis aqua viva perfusis insutus, dum qui insuerat, filum candela abrupit, flamma grassante correptus, toto corpore ambustus, adeoque tostus est, ut post biduum expiravit, magno subditorum gaudio, non magno suorum luctu, anno Domini 1387. Æmilius, lib. IX. Justa, ut apparet, fuit hæc punitio. Quia enim immanis iste princeps subditos deplumavit nimis exactionibus ac quodam modo assavit devoravitque; deplumatus et ipse atque assatus est, ut (quod timendum) esca dæmonum fieret. Audiant optimates Deum conquerentem per Mi-

chæam, cap. III. *Comederunt carnem populi mei et pellem eorum desuper eccoriarunt, et ossa eorum confregerunt, et conciderunt sicut in lebetem, et quasi carnem in medium ollæ.* Quod Chaldaica paraphrasis sic explicat: *Rapientes facultates populi mei, et pecuniam eorum pretiosam auferentes, et reliquias eorum consumentes, etc.* Pecunia enim est hominis anima, sanguis et vita. Quid mirum ergo, si talionem recipiant tales pauperum sanguisugæ saltem in altera vita? Eandem ob causam clamorem Sodomorum et Gomorrhæorum ascendisse in cœlum vult Sanctus Chrysostomus, homilia XLII. in Genesim: *Clamor ille, inquit, opinor significat quo surrexerunt potentiores ditioresque contra pauperes, etc.* Unde et ipsi igne cœlitus lapso assati et combusti sunt, ut et ipsi dæmonum esca fierent. Bene enim Ludovicus XII. rex Franciæ dicebat: *Plebem et rusticos esse pascula tyrannorum et militum; tyrannos autem et milites esse pascula diabolorum*, in annal. Franc.

II. Secundus, ad ecclesiasticos, qui turpem et epicuream vitam ducunt. Habent isti anserem horrendum in modum assatum in Flandriæ comitatu, de quo alibi dixi. Quia enim ignem alienum, cupiditatis, libidinis, gulæ admiserat in cor suum; jure igne torreri merebatur. In cuius rei significationem filii Aaron, Nadab et Abiu, quia ignem profanum ad sacrificium adhibuerunt, ab igne correpti et assati sunt, Levit. X. Terribilius est quod, Petro Cluniacensi teste, lib. I. mirac. cap. XXV. expertus est sacerdos carnis fœdis voluptatibus deditus, qui in morbum incidens, cum aliquot horis a sensibus destitutus jacuisset, tandem ad se reversus, alto et amaro suspirio ducto ait: *Eheu ad iudicium æternum raptus sum, et heu miser æterna morte damnatus! Ecce ignita sartago, plena bulliente adipe, quam coram me tormentorum ministri tulerunt, eamque ad me frigendum undique accenderunt.* Simulque exiliens gutta una, inspectante priore Bonævallis, in manum ejus prolapsa est, et momento cutem et carnem ad intima ossium penetravit, ipse post pauca reflexa cervice expiravit.

III. Tertius, ad cives et opifices plus æquo pecuniis addictos. Ex horum numero videtur fuisse lanus quidam ex Gorcomensi Hollandiæ oppido, nomine Henricus Kock, cætera vir pius, qui cum anno Domini 1448. domus ejus, ex candela ardente in stramen incidente, incendio correpta esset, una cum filio ægre admodum incendium evasit. Verum corpore liberatus pro pecuniæ amissione sollicitus, non timuit iterum se furentibus flammis objicere; quod sane indicium fuisse videtur, immodici erga nummos amoris. Itaque domus

jam undique flammis pene vastata, priusquam ad nummorum conclave veniret, super eum corruit. Hic dum flammis uritur, jam non de nummis sed de animæ remediis sollicitus, divam Barbaram invocat, quam singulis diebus veneratione aliqua colere consueverat. Finita prece, a S. Barbara per tectum stramineum educitur et in tuto collocatur, promissa ei vita usque ad aurorem. Henricus toto corpore foedissime adustus, hiantibus in inguine vulneribus, extis nudatis, membris cremore rigescentibus et inflexilibus, ac ferri instar rigidis, capillis cum cute a capite defluentibus et in genis hærentibus, ad domum Dietverdæ filiæ solus pergit; atque inter eundem arentes pedicæ a corpore defluebant, horrendum mortis simulacrum. Ibi confluentes ad se populos, confortatus a Deo, hortabatur omnes ad terrenorum contemptum et cœlestium amorem, atque ut Deum in sanctis suis laudarent: denique facta omnium peccatorum confessione, sumptoque sacramento, pie Deum precatus, spiritum ei reddidit magna omnium ædificatione. Ita scribit Theodoricus Pauli, loci illius sacerdos, qui et confessionem ejus se audivisse, et sacramenta ei administrasse testatur, apud Lipel. in vita Sanctæ Barbaræ, 4. decemb. Ecce quomodo modici argenti sitis assavit miserum hominem! Hoc est quod dixit Sanctus Jacob, cap. V. *Aurum et argentum vestrum manducabit carnes vestras sicut ignis*: et juste avaritia igne punitur, quia et ipsa, ignis instar: *Nunquam dicit sufficit; sed vicina omnia ad se rapit et devorat, ut exponit Sanctus Basilius, homilia XV. de avaritia*: «*Ignem vehementior est, inquit, omnia continuando, finibus suis occupat: ea quæ sunt vicini sibi auferit. Mox ubi alium sortitur vicinum, et quæ illius sunt, ad se rapit.*» Exemplo est Achab, rapiens ad se vineam vicinam, III. Reg. XXI.

IV. Quartus ad filios immorigeros ac contumaces. Ex horum numero anno 564. Chramnus, Clotarii Francorum regis filius, rebellavit patri, bello Saxonico implicito (eo quod nollet pater eum ante tempus regem creare Aquitaniæ) et varia contra eum bella gessit. Tandem filio in Britanniam se recipiente, eum insecutus pater cum suis copiis, imploravit supplex divinam opem contra incorrigibilem natum. Initio autem certamine, non modo fudit fugavitque filii exercitum, sed etiam filium comprehendit, navi jam parata fugam molientem, totusque ira percitus, inclusit eum uxore et filiabus in rusticano tuguriolo, scamnoque stola alligatum, igne undique circumposito, incendit et consumpsit; postquam pridem captum, et ope S. Martini, qui invocato suo nomine sapius, ejus vincula ruperat, libe-

raturum dimisisset, Belleforet. in Clotario; S. Gregorio Turon. lib. IV. hist. Franc. cap. XVI. et XX. ubi etiam scribit eum, cum aliquando in Divionense Galliæ castrum venisset, de futuro suo tristi eventu præmonitum. Ipso enim petente, episcopus tres libros aræ imposuit, prophetarum unum, alterum apostolorum, tertium evangelii. Aperto primo, fortuito repperunt sententiam illam Isaia: *Auferam sepem ejus, et erit in desolationem*: aperto secundo, illam Pauli I. Thess. V. *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet, cum dixerint pax et securitas*: aperto tertio, illam Matth. VII. *Omnis qui audit verba mea et non facit ea, similis est viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam, etc.* His tamen divinis monitis ille non correctus, perrexit in sua contumacia. Omnia ergo hæc ipsi ordine evenerunt. Ablata est ei maceria, et mansit desolatus, quando fugatus est ejus exercitus. Dies Domini sicut fur ei venit, quando a patre, dum navi parata fugam cogitaret, comprehensus est: Dominus super ipsum cecidit, quando incendio conflagravit, ipsum etiam cum uxore et duabus filiabus consumpsit.

V. Quintus ad mulieres, quæ viris suis infideles sunt. E quarum numero fuit Maria Aragonia, Othonis tertii imperatoris conjux sterilis et impudica, circa annum Domini 984. Hæc in primis juvenem muliebri habitu secum circumducebat, quo abutebatur, dum cubiculariæ domicelliæ officium gereret. Hoc cum imperatori innotuisset, juvenis denudatur et masculus deprehenditur: inde iudicio damnatus, vivus eximitur. Maria ad præsens quidem amicorum intercessionem veniam impetravit. Postea vero comitem Italicum Mutinensem, præstantis formæ, ad stuprum sollicitavit: sed cum vir optimus tantum nefas aversaretur, illa per calumniam et falsos testes de attentata violentia, non secus ac Josephum domina, ipsum accusavit. Commotus imperator eum decollavit, non obstante quavis contradictione. Quid ageret conjux comitis? Caput innocentissimi mariti, ab ipso prius edocta, sustulit, eoque ad certum comitiorum diem, quo imperator omnibus jus dicebat, imperatorem adiit, quærens quid meruisset ille, qui injuste condemnasset et occidisset proximum? Imperator reum mortis asserit. Tunc depromit viri caput, ejus innocentiam igne comprobaturâ. Itaque in accenso rogo, una cum viri capite illæsa stetit (alii laminam ignitam tenuisse asserunt). Convictum se imperator videns, inducias poposcit, interim conjugem suam ream deprehendit: itaque eam, quæ Veneris igne male arserat, carnificis manu in rofugum conjectam, flammis absumi jussit. Refert Godefridus Viterbiensis Cranzius, lib. VI. Saxon.

cap. XXVI. aliique plurimi. Quale spectaculum, auditores, videre imperatricem, filiam regis in rogo collocatam comburi. Discite quantum malum sit peccatum, nec miremur amplius, si Deus id igne puniat, quando et homines ita plectunt sibi etiam conjunctissimos, maritus uxorem. Erant nunc uxores illæ, quæ juxta maritos suos alunt adamantque juvenes, et quid mereantur, indicent. Viderint mariti, qui tales patiuntur. Dux quidam Oppavia, talem juvenem cum nupta sua ex Lithuania pensili lectica et molli in lecto adductum ubi deprehendit, canibus laniandum objicere voluit: prohibitus tamen ab amicis, confestim abire unde venerat, jussit, Æn. Sylv. lib. IV. comment.

Hi sunt, quos promisi, anseres, auditores. Proximi autem; non ut inde quid gustetis (absit hoc ab omnibus), sed ut, tetro eorum nidore percepto, toto pectore abhorreatis, imo eos et horum similes in æternum abjuretis.

CONCIO IV.

SANCTUS MARTINUS QUO JURE MARTYR APPELLARI POSSIT.

I. Quia in voto martyr fuit. — II. Quia multas persecutiones sustinuit. — III. Quia vitæ austeritate seipsum affligebat. — IV. Quia in dignitate episcopali vitam egit pauperem.

THEMA.

Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebræ sint. Luc. XI.

Pulchrum nobis lumen accendit hodie Ecclesia, dum de S. Martino in vesperis cantat: *O sanctissima anima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit.* Quibus sane verbis Martinum martyribus accensit; ideoque in matutino ejus psalmos de martyribus, non de confessoribus, legit. Consentit cum Ecclesia Sanctus Bernardus, qui in serm. de Sancto Martino appellat eum *martyrem devotissimæ voluntatis.* Pulchrum, inquam, hoc lumen est, posse etiam fieri, ut confessor aliquis, qui pro Christo et justitia sanguinem non fundit, possit dici martyr et martyrii palma donari. Sed videndum, ne lumen hoc, quod accenditur nobis, tenebræ sint: videndum, inquam, quo jure et ratione S. Martinus martyr appellari, martyrumque albo adnumerari possit; quod hic faciemus.

I. Sic vocari potest, quia votum seu voluntatem ac desiderium martyrii habuit, cui se non semel sed multoties obtulit, nec aliud ei defuit

nisi persecutoris gladius. Scimus voluntatem Abrahamæ, qua paratum se exhibuit ad immolandum filium, reputatam esse a Deo pro opere: *Quia fecisti hanc rem, inquit, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli,* Genesis XXII. Pepercit sane Abraham filio, quia non immolavit: verum quia ad immolandum eum jam se accinxerat, recte non pepercisse, sed immolasse eum dicitur, nec minorem mercedem reportavit, quam si actu eum mactasset. Jam vero quoties Martinus morti se objecit pro amore Christi? Impio Juliano, pusillanimitatem sibi exprobranti, dixit, se crucis signo armatum, fore paratum ad perpendendum hostium cuneum. Pinum arborem dæmonis cultui dedicatam pro conversione rusticorum, qui ejus hortatu, excisuros se illam dicebant, se casuram excipere vellet, stans intrepidus jam in se ruentem expectavit; tametsi signo crucis in adversam partem deflexit. In pago Hedorum, cum fanum idololatricum everteret: «Furens rusticorum turba irruit in eum. Cumque unus, audacior cæteris, stricto eum gladio peteret; rejecto pallio, nudam cervicem percussori præbuit. Nec cunctatus est ferire gentilis: sed cum dexteram alius extulisset; resupinus ruit, consternatusque divino metu, veniam precabatur.» Denique, Sulpitius, in epist. II. ad Aurelium diaconum, hæc de ipso Martino, sibi familiariter noto scribit: «Licet ei ratio temporis non potuerit præstare martyrium, gloria tamen martyris non carebit, quia voto atque virtutibus potuit esse martyr, et voluit. Quod si Neronianis Decianisque temporibus in illa quæ tunc extitit, dimicare congressione licuisset, testor Deum cæli atque terræ, sponte equuleum ascendisset, ultro se ignibus intulisset; Hebræisque pueris æquandus inter flammarum globos, media licet hymnum Domini in fornace cantasset.» Sic ille; addens, nec serram Isaïæ futuram ipsi fuisse terribilem, gladium Pauli vero acceptabilem, etc. Itaque non unam sed plures mortes sustinuit, ut posset dicere cum apostolo: *In mortibus frequenter,* II. Corinth. XI. Quemadmodum enim Paulus non nisi unam pro Christo mortem actu sustinuit, plures tamen, quibus se obtulit, voluntate; ita et Martinus. Unde Sanctus Chrysostomus, homilia XI. in Gen. super illa Pauli verba ait: *Estne possibile, ut quis sæpe moriatur? Etiam, inquit, quamvis non mortis experientia, attamen moriendi proposito: et in id apostoli I. Corinth. XV. Quotidie morior, hom. in Psalm. XCV. ait: Quomodo morieris, qui vivis? Moriebar proposito, sed servatus sum gratia Dei.* Pulchrum et salutare est hoc lumen, scire quod Deus voluntatem, quantum in

ipsa est, efficacem, accipiat et coronet pro opere. Unde bene quidam dixit: *Quidquid efficaciter vis, hoc erit.* Vicissim etiam cogitandum, in malis propositis solam voluntatem valere pro opere, nihilominus pœna dignam. Agnovit hoc docente et redarguente conscientia Ruben, cum dixit fratribus suis: *Numquid non dixit vobis: Nolite peccare in puerum? Et non audistis me. En sanguis ejus exquiratur,* Gen. XLII. Sed quomodo sanguis quem non fuderunt? Quia, ut Sanctus Chrysostomus, hom. LXV. in Genes. ait: *Quantum ad propositum vestrum, occidistis: licet enim non per gulam gladium transmiseritis, barbaris tamen viris eum vendidistis, et difficiliorem ei servitatem excogitastis.* Notam puto historiam Guilielmi Tellii Uriensis Helveti, qui a præfecto Gissero jussus filio suo pomum de capite ejaculari; cum feliciter tetigisset pomum illæso filio, addidit, se, si filium læsisset, in altero jaculo ab ipso præfecto, non fuisse aberraturum. Prava hæc ejus voluntas, a præfecto intellecta, in vincula eum compegit, reum mortis factura, nisi is alia fortuna evasisset, Stumpsius, in chron. Helvet. Vident igitur homines ratam et deliberatam peccandi voluntatem valere et haberi pro opere: non videat id Deus? Quare nemo se decipiat, quasi Deus voluntatem, sed opus tantum judicio suo subjecturus sit. Hoc fecisti, quod facere voluisti.

II. Quia tot persecutiones sustinuit et fortiter devicit, quot non pauci martyres; tametsi in iis non occubuit. Certe ob solam patientiam Sanctus Chrysostomus, homilia V. de patientia Job, Jobum martyrem appellat. Et hom. unica de S. Job: *Est præfecto magna gloria martyrum: sed nescio, utrum minor gloria fuit Sancto Jobo: et hom. I. in II. ad Corinth. Quis est martyr, cui hic non possit æquari? Imo martyres innumeros hic unus æquat: denique, homil. XXV. ad populum: Multis martyribus graviora passus est. Et illorum succedentium sibi nuntiorum voces omni plaga sævius percutiebant, et innumeris tormentibus acerbis vermium illorum ora eum undique corrodebant. Cui non itaque dignus hic sit martyri comparari? Innumeris equidem.* Sic ille. Jam vero Martini nostri patientiam audiamus ex Sancto Bernardo, serm. in ejus festo: «Cæterum persecutiones, inquit, quas sustinuit propter justitiam, longum est numerare; quomodo apud Julianum Augustum in civitate Wangionum intrepidus, imo et illato terrore constantior, custodiæ mancipatus est, ut inermis postero die barbaris opponeretur: quomodo circa Alpes sub securi, quam in verticem ejus latro vibrabat, securissimus fuit: quomodo illum Mediolani Auxentius Arianus graviter insectatur, multisque appetitum injuriis tan-

dem de civitate exturbavit: quomodo et alibi prius et adversus sacerdotum perfidias acerrimè pugnans, supplicis fuit affectus, publice virgis cæsus, inde quoque exire compulsus est, etc. et quomodo eum alter cum cultro ferire voluit; sed ferrum de manibus ejus elapsum, repente disparuit. Pro quibus omnibus dubium non est multipliciter coronari eum, qui quidem, etsi non semel effectu consummatæ passionis, sed toties martyr fuit affectu devotissimæ voluntatis.» Sic Bernardus. His adde plagas, fustes et contumelias, quas a militibus quibusdam in itinere ob eorum equos, aspectu Martini (utpote vestitu horridi) pavefactos accepit in via publica, ut place cruentus et corpore laniatus in terram procumberet; quæ omnia Martinus summo silentio pertulit, ita ut percussores inde magis irritarentur. Taceo Britium, ejus discipulum, qui eum contumelias sæpe onerabat, et velut alter Judas vexabat; quem tamen ipse patientissime ferebat. Jam vero: *Non solum laniari et excarnificari,* ait Sanctus Chrysostomus, in Psalm. CXXVII. *sed etiam cum dolore impellit ad blasphemandum: toleranter potius ferre laborem et nihil turpe et inhonestum dicere, facit martyrem.* Servit etiam nobis non mediocriter lumen hoc, quando intelligimus posse etiam nos martyrii palmam sine sanguine acquirere, modo in persecutionibus et tribulationibus nostris patientiam conservemus. Quantum hoc est miserorum solatium! Non possumus sanguine pro Christo dare, quando non est persecutor, sed possumus injurias patienter ferre et condonare: *Ferre vero contumelias, odientes diligere, martyrium est in occulta cogitatione,* ait S. Greg. hom. XXXV. in evang.

III. Quia vitæ austeritate et continuis mortificationibus seipsum insuper conficiebat et frangebatur; quam vitæ austeritatem martyrio comparant ss. patres. Divus Ambrosius, serm. XX. in Psalm. CXVIII. ait: «Tentatus est spiritu fornicationis: sed veritas Christi futurum judicium, temerandam mentis et corporis castimoniam non putasti: martyr es Christi. Tentatus es spiritu avaritiæ, ut possessionem minoris invaderes, in defensione viduæ jura temerares; et tamen contemplatione cælestium præceptorum, opem magis ferendam, quam inferendam injuriam judicasti: testis es Christi:» et mox: «Tentatus es spiritu superbiæ; sed videns inopem atque egenum, pia mente compassus es, humilitatem magis quam arrogantiam dilexisti; testis es Christi.» Sanctus Bernardus, serm. XXX. in Cant. «Genus martyrii est, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum, quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius:»